



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Distinct. VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



**N**unc de sacramento confirmationis addendum est: de cuius virtute quæri solet. Forma enim aperta est, scilicet verba quæ dicit Episcopus, cum baptizatos in frontibus sacro signat chrismate. Hoc sacramentum ab aliis perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur peractum, nec ab aliis, quam ab illis qui locum eorum tenent, perfici potest aut debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habetur & vacuum, nec inter Ecclesiastica reputabitur sacramenta. Licet autem presbyteris baptizatos tangere in pectore, sed non chrismate signare in fronte. Virtus autem huius sacramenti est, donatio Spir. S. ad robur: qui in baptismo datus est ad remissionem. Vnde Rabanus, A summo sacerdote per impositionem manus paracletus traditur baptizato: ut roboretur per Spir. S. ad prædicandum aliis illud, quod ipse in baptismo consecutus est. Item, Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, post baptismum accipere debent Spir. S. ut pleni Christiani inueniantur.

*Melchisedech.*

Scitote utrumque esse magnum sacramentum, sed vnum maiori veneratione tenendum, sicut à maioribus datur. Ecce maius dicit sacramentum confirmationis: sed fortè non ob maiorem virtutem & utilitatem quam conferat, sed quia à dignioribus datur, & in digniore parte corporis fit, scilicet in fronte: vel fortè quia maius augmentum virtutum præstat, licet baptismus plus ad remissionem valeat. Quod videtur innuere Rabanus, dicens. In unctione baptismi spir. S. descendere ad habitationem Deo consecrandam, in hac vero, eiusdem septiformem gratiam, cum omni plenitudine sanctitatis & vir-

*Enseb. 1. epi.  
3. Episc. Tu-  
scia & Cæ-  
pania in fin.  
Greg. 1. epist.  
ad Ioan. l. 3.*

*Raban. in  
pr. c. 30. libr.  
1. de instit.  
clariorum.  
Vrb. Pap. 1:  
omnib. epi.  
scribens in  
fin. Melch. 1.  
epi. ad Epis.*

*B Hispania in  
medio, to. 2.  
conciliorum.*

*Raban. in  
princ. c. 30.  
1. de instit.  
clariorum.*



*De conf. dist.*  
*5. cap. Nouis-*  
*si me.*  
*Aug. cap. 13.*  
*non longe à*  
*princip. con-*  
*tra pist. 7.*  
*Parmenian.*  
*Tom. 7.*

tutis venire in hominem. Hoc sacramentum tantum à ieiunis accipi, & ieiunis tradi debet, sicut & baptismus, nisi aliter cogat necessitas. Nec debet iterari, sicut nec baptismus, vel ordo. Nulli enim sacramento faciendâ est iniuria: quod fieri putatur, quando non iterandum iteratur. Sed utrum aliqua vel nulla iterari possint, quæstio est. Nâ de baptismo & ordine, quod non debeant iterari, aperte Aug. dicit. Vtrumq; sacramentum est, & quadam consecratione datur, illud quidem cum baptizatur, illud vero cum ordinatur. Ideoque in ecclesia catholica utrumq; nō licet iterari, quia neutri faciendâ est iniuria: quod indubitanter etiam de confirmatione tenendū est. De alijs vero virtutibus iterari valeant vel debeant, postea differemus.

DE SACRAMENTO ALTARIS ET  
 eucharistia.

DISTINCT. VIII.

POST sacramentum baptismi & confirmationis sequitur Eucharistia sacramentum. Per baptismum mundamur, per eucharistiam in bono consummamur. Baptismus æstus vitiorum extinguit, eucharistia spiritualiter reficit. Vnde excellenter eucharistia dicitur, id est, bona gratia: quia in hoc sacramento non modo est augmentum virtutis & gratiæ, sed ille totus sumitur, qui est fons & origo totius gratiæ. Cuius figura præcessit, quando manna pluit Deus patribus in deserto, qui quotidiano cœli pascebantur alimento. Vnde, Panem Angelorum manducauit homo. Sed tunc qui panem illum manducauerunt mortui sunt, iste vero panis viuus, qui de cœlo descēdit, vitam mundo tribuit. Manna illud de cœlo: hoc super cœlum. Illud vermibus scatebat in diem alterum re-feruatū: hoc ab omni corruptione alienum. Quicumq; religiose gustauerit, corruptionem non videbit: Illud datū fuit antiquis post transitū maris rubri:

*Amb. c. 8. in*  
*fine lib. de*  
*eis qui ini-*  
*riantur my-*  
*steriis.*  
*Exod. 16.*  
*Psal. 77.*  
*Ioan. 6. d*  
*Ibid. c. 9. in*  
*principio.*

*Exod 16. d*